

C O N C I O X I V .

*DE FRUCTIB. PRÆSTANTISSIMIS EX MORTE
Christi ad nos redundantibus. Textus multi accommodari possunt,
ut locus ille Rom. 4. 25. & cap. 6. à v. 1. ad 14. I. Cor. 1. v. 30. & c.*

Absoluta passionis Dominicæ historia, ne ex abrupto eam finiremus, hæc de fructib. eius ad nos redundantib. concionem adicere placuit, sicut in initio primam ex Esaiæ cap. 53. ne *ἀκρίβειος* expositio nostra esset, de salutari passionis Dominicæ meditatione, & grauissimis eiusdem causis præmissimus. Illa, ut ad recte intelligendum historiam pio lectori, & auditori necessaria fuit: ita hæc, audita hæctenus, & ad finem nunc perducta historia ingrata & inutilis non erit futura.

Rideretur mors Christi à gentibus, scandalo est Iudæis: at tanto à nobis præstantior merito æstimari debet, quanto præstantiores & excellentiores ex illa utilitates ad nos pertingunt. Sunt equidem omnia Christi dicta & facta piis gaudio & consolationi: at mors eius fons demum est atque adeò satietas & abundantia omnis solidi gaudii & consolationis.

Cæterum fructus mortis Christi, permulti sunt, iique insignes omnes: Morte enim sua fœdus æternum inter Deum & nos stabilivit & confirmavit: Morte sua peccatum Adami plene expiavit: Morte sua iram Dei pœnasque infernales pro nobis superavit: Morte sua mortem nostram destruxit & vitam restituit: In summa, morte sua nobis omnia illa quæ tum ad hanc, tum ad illam beatam vitam necessaria nobis sunt peperit: Morte sua, ut cum Paulo paucis verbis omnia includamus, omnia nobis factus est, sapientia nimirum, iustitia, sanctificatio, & redemptio, I. Cor. 1. 30.

Quoniam verò alibi de hac beneficiorum Dei, quæ morte Christi nobis parta sunt, classe diximus: hac vice, ne longiores simus breuiter de duob. illis fructib. quod per mortem suam, nobis factus sit iustitia & sanctificatio: seu, quod per mortem eius nos iustificati & à peccatis absoluti, nec nõ sanctificati, id est, ad nouam vitam regenerati simus, ex solidis scripturæ testimoniis & fundamentis, in fidei nostræ confirmationem & solidam animorum consolationem demonstrabimus.

Primum igitur, quod probandum suscepimus est, nos per mortem Christi iustificari, seu à peccatis tam quoad pœnam quam quoad culpam liberari. Hic fructus, ut quiuis, qui quantum malum sit peccatum, intelligit, æstimare facile potest, omni exceptione maior est. Qui n. iustificatus est, in eo quod culpari possit amplius nihil est reliquum. Rom. 5. 1. & cap. 8. 1.

Probe autem hinc obseruetur iustitiam nostram, seu imputationem iustitiæ, & satisfactionem pro peccatis nostris, itemq; remissionem peccatorum esse

esse